

Iohannes de Tambaco, *Consolatorium theologicum*, 9.4: “De ieiunio et abstinentia” (Basel: J. Amerbach, 1492, ff. 60r-62r) with variants found in the abridged recension known as Typ IV (Haarlem: Andrea, 1486, sig. g2 verso-g4 recto)

Key: **Red font** within parentheses indicates significant word variants with the preceding word or phrase; underscoring indicates shared text, lack of underscoring omissions in Typ IV; **bold font** indicates words found only in Typ IV.

Insuper propter ieiunium et abstinentiam non contristeris, nec fias sicut hypocrita tristis: sed potius contra tristitiam attende ad bona tam corporalia [temporalia] quam spiritualia que inde sunt speranda [perueniunt]. Nempe vt [sicut enim] dicit Ecclesiasticus: Non est census super censum salutis corporis: ad quem profecto multum confert ieiunium et abstinentia hominis exterioris. Unde Hieronymus: Mater sanitatis est abstinentia: mater egritudinis est voluptas [Abstinencia mater est sanitatis uoluptas uero est mater egritudinis]. Sed et vulgacissimum est: quod abstinentia est summa medicina. O quanti calores februm ieiuniis sunt extincti? O quotiens diuersarum infirmitatum materia in ieiunantibus est consumpta? O quotiens ex repletionem nimia nonnulli paralysim et pessimos morbos [passiones morborum] incurrisent: si non vel sanguinem minuendo vel per abstinentiam se iuuissent? Profecto ieiunium multotiens infirmum sanat: et sanum [sanum eciam] ab infirmitate vel etiam a morte quandoque preseruat: et morte quandoque liberat et per consequens a medicorum solario supportat. Audi et [eciam] de bonis spiritualibus que perpetrat. Ecce si culpa maximum malorum est: sequitur quod mors culpe de maximis bonorum est. Hoc autem bonum de ieiunio et abstinentia vel causaliter predicatur. Unde Ambrosius. Ieiunium mors culpe excidium delictorum: remedium salutis: radix gratie: fundamentum est castitatis. Unde et Bernardus. Pro eo quod ab ipsis licitis abstinemus: ea nobis que prius commisimus illicita condonantur. Quid est inquit condonari commissa: nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus vbi nunquam vullus cibus est: nulla consolatio: nullus terminus: vbi guttam aque diues ille postulat et accipere non meretur. Bonum ergo et salutare ieiunium quo redimuntur eterna supplicia: dum remittuntur peccata. Hec Bernardus. Ideo etiam de ieiunio et abstinentia non tritari sed gaudere debes: quia cum his possunt vitia ab anima remoueri: et multa bona promereri. Unde in prefatione ecclesiastica dicitur de ieiunio: Qui corporali ieiunio vitia comprimis. Unde Bernardus. Ieiunium non solum ablutio est peccatorum: sed eciam extirpatio vitiorum: non solum obtinet veniam: sed meretur gratiam: non solum delet peccata preterita mala que commisimus [fecimus]: sed et [eciam] repellit futura que committere poteramus. Et iterum: Ieiunium orationem deuotionem et fiduciam donat. In prefatione eciam misse cantatur domino Qui corporali ieiunio vitia comprimis mentem eleuas uirtutem largiris etc. Unde et Petrus Rauennas. Ieiunium aufert vitiorum morbos: carnis ampulat passiones: criminis causas propellit. Unde et Hieronymus. Ardentes diaboli sagitte ieiuniorum et vigiliarum frigore restringende sunt. Et iterum. Ieiunium non solum perfecta virtus: sed et ceterarum virtutum fundamentum est et sanctificatio. Unde et Augustinus. Ieiunium concupiscentie nebulas dispergit: libidinum ardores extinguit. Et iterum iheronimus ait Ieiunium est. non solum perfecta virtus. Sed et ceterarum virtutum fundamentum est et sanctificatio. Denique considera quod ieiunium quamuis cibo videatur contrarium: tamen et ipsum cibus est virtutis interiorem hominem confortantis. Unde Leo papa. Semper virtuti cibus ieiunium fuit. De abstinentia quoque prodeunt caste cogitationes: rationabiles voluntates:

salubria consilia: et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur et virtutibus spiritus innouatur [renouatur]. Hec ille. Considera etiam quod si tibi ieiunium corporalem cibum subtrahit: tanto mens vtilius spiritualem sibi cibum attrahit: qui quidem homini necessarius est. Non enim in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore dei: per cuius carentiam si saluator dimiserit nos ieiunos deficiemus in via. Porro si ratione ieiunii a cibo abstinens corporali: fame affligeris siue siti: sume cibum alium siue potum. Ut enim ait Cassiodorus: ipsis grauior est consuetudo subtracti cibi qui se escis altiis nesciunt consolari. hec ille. Dum ergo fame vel siti affligeris: perlustra armarium memorie seu [idest] arcam mentis tue arcane [secrete]. et si quemquam dulcissimum cibum idest aliquid verbi [uerbum] dei inueneris ibi reseruatum: illum gusta [illud degusta]: illo recreeris: atque de cella vinaria vino leticie [te relice] spiritualis. Nempe cibum atque potum huiusmodi spiritualem gustando: non solum venies in obliuionem ieiunii et alterius puta carnalis cibi sumendi: sed et carebis eius appetitu tanquam insipidi: Quia gustato spiritu desipit omnis caro. Quod quidem si neglexeris: fatuis es similis nec compassione dignus. Quemadmodum nec talis que propter grossioris cibi: puta nigri panis carentiam famesceret: eo quod cibos delicatos absconditos habens in copia eis vti non curaret. Hoc autem dico naturale quodammodo famis remedium attendendo: quod quidem remedium in proposito consisteret in suspensione ad cibum spiritualem per actualem considerationem: quemadmodum quis dum ad vnum cibum delicatum per actualem vsum suspenditur: interim naturaliter per appetitum grossioris cibi non vexatur.